

dario dioecetano accomodare quoad illorum Sanctorum Officia, in quibus lectiones proprias *ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur*, districte recitari laudatus Pontifex Benedictus praeceperat. Nec dubitatio iniqua erat; quia in supplici libello porrecto a Commissario generali Conventualium Provinciae Bononiae nulla facta fuerat mentio jussionum praefati Pontificis Benedicti XIV., illorum praevaluit opinio, qui ab onere faciendi Officia propria de Sanctis Dioecetanis solutos se non esse censeant et iterum eadem Officia Directorio addiderunt anno 1804 usque ad annum 1820. Ab hujusmodi additione sistere dein opus fuit, quia supremus Conventualium Ordinis Moderator sub die 24. Martii 1820 districte praecepit, ut omnes uti deberent Calendario perpetuo a sa. mem. Pio VII. die 4. Decembris 1819 approbato, juxta peculiare Ordinis regulas a Benedicto XIV. confirmatas: quamobrem in Calendario pro Conventualibus Provinciae Bononien. additum fuit monitum, quod *in posterum non liceret adjicere aliud quodcumque Officium, nisi Patroni praecipui dioecesis vel loci Dedicationis propriae Ecclesiae et Titularis, servata forma Decreti 16. Decbr. 1727.* Composita res videbatur, sed secus accidit: nonnulli namque in sententia perstabant, quod Decretum antedictum anni 1797 non afficeret, quia in eodem nulla mentio facta fuerat literarum et jussionum Benedicti XIV., neque propterea iisdem derogatum videbatur; idcirco in re satis dubia ad imponendum controversiae finem, ac ut, quid foret agendum in posterum, certo tandem innotesceret e re sua esse duxit admodum Rev. Pater Joannes Franciscus Barbieri ejusdem Ordinis alumnus et civitatis Bononiae coenobio adscriptus, cuncta documenta, quae disputationi causam dederant, in

unum colligere et, reposito quolibet partium studio, supplici libello SSmum D. N. Leonem XII. Pont. Max. exorare, ut dignaretur definire vel per declarationem vel per dispensationem, ad quae dioecetana Officia praefati Conventuales dioecesis Bononiae teneantur. Et Sanctitas Sua, audita relatione Ei facta per Secretarium S. R. C., confirmando Decretum sa. mem. Pii VI. ita precibus annuit, ut ab iisdem fratribus et monialibus in Bononiensi dioecesi degentibus servanda in posterum essent generalia S. R. C. Decreta, quae jubent a Regularibus non alia recitanda esse dioecetana Officia, praeter illa Patroni principalis civitatis vel loci necnon Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.

Facti series haec est, quam necesse erat exponere, quin forte ex praefato Decreto alia excitari controversia posset. Sciscitabitur aliquis, num idem Decretum extendi debeat etiam ad alios utriusque sexus Regulares, qui vel in civitate et dioecesi Bononiensi commorantur vel in eadem Provincia habent coenobia, quique se tueri posse arbitrantur aut antiquae consuetudinis ratione aut vigore apostolicarum literarum, quas utriusque Clero Benedictus XIV. inscripsit. Mea quidem sententia extendi haud debere videtur, tum quia Decretum datum est ad petitionem dumtaxat fratrum et monialium Ordinis Minor. s. Francisci Conventualium dioecesis Bononiensis, tum etiam (opinari quis posset), quia Sanctitas Sua non praeceptum positivum imposuisse alicui videtur, cum verbum facultativum adhibuerit, *valeant*. Quamquam postrema haec ratio haud prodest, quia, licet facultativa sit distinctio: *valeant*, separatim a contextu accepta, praeceptiva evadit, si cum contextu consideretur. Concludit namque Decretum, *juxta quod etiam sanctum fuit a sa. mem. Pio Papa VI*

Decreto 16. Decembris 1797. Atqui in eodem Decreto praeceptum impositum est, cum legatur: *mandavit ut in posterum in omnibus coenobiis ejusdem Ordinis dictae Provinciae recitetur Officium juxta Calendarium proprium ipsius Ordinis, nullo alio adjecto Officio, nisi Patronorum principalium civitatum et locorum, in quibus ipsa coenobia sita sunt, et Dedicationum Ecclesiarum Cathedralium*, praeceptivum etiam evadit postremum Decretum, etiamsi in eodem facultativa dictio fuerit adhibita.

Verum, quaecumque sit intelligentia praefati Decreti, certum tamen est, idem non extendi ad alios Regulares ejusdem Provinciae, cum afficiat dumtaxat fratres et moniales Ordinis Conventualium. Quid igitur de aliis censendum est? Nollem hanc quaestionem attingere; nihilominus, quae mea sit opinio dicam paucis; sed in ea sustinenda non adlaborabo neque scrupulos excitare meus est animus, si alii secus censeant et fas sibi esse credant contrariam sequi. Discrimine arbitror opus esse. Vel Regulares proprium non habent Directorium et Dioecetano utuntur, vel proprio Ordinis Calendario in explendis Horis canonicis se conformare tenentur. Primos ad festa et officia dioecetana adstrictos esse non dubito, secus opinor de aliis, quin iisdem prosint vel consuetudo vel perperam acceptae Benedicti XIV. jussiones. Non consuetudo, quam non valere declaravit S. R. C. *in una Ordinis Minorum s. Francisci Reformatorum etc. die 11. Jan. 1755*, nam ad dubium secundum, quo petebatur: *An Patres praedictae Provinciae (s. Mariae de Arabida in regno Portugalliae) debeant vel possint continuare recitationem Officiorum specialium Calendarii dioecesis vel ab illa totaliter abstinere?* Respondit: *Negative ad primam partem, affir-*

mative ad secundam, et serventur Decreta S. C. et Constitutiones Ordinis; non Benedicti XIV. jussiones, etsi namque literas ipse dederit universo Clero saeculari et regulari civitatis et dioecesis Bononiensis ac in iisdem districte praeceperit ac mandaverit, ut lectiones proprias apostolica auctoritate approbatas recitare in posterum deberent omnes, qui ad Horas canonicas tenentur, praeceptum tamen ad illos dumtaxat Regulares referendum esse videtur, qui Calendario dioecetano utuntur, non autem extendendum ad alios, qui habent Breviarium et Calendarium proprium Ordinis Congregationis et Instituti, cui juxta peculiare Constitutiones ab apostolica Sede approbatas omnino et adamussim conformare se debent. Nec aliam fuisse mentem sapientissimi Pontificis putandum est. Eum quippe latere non poterant incommoda, quae ex hujusmodi accessione proprio Ordinis Breviario utentibus obventura forent. In disponendis Calendariis mira oriretur perturbatio et confusio. Necdum commendanda verum etiam necessaria illa concordia cessaret in divinis laudibus persolvendis servanda ab idem Institutum profitentibus. Praeterea, multiplicatis Officiis, frequentiores essent translationes et deficientibus circa anni finem diebus liberis pro eorumdem repositione oriretur necessitas plura semiduplicia vel etiam duplicia de praecepto aut omittendi aut ad ritum simplicem reducendi. Id tam verum est, ut nonnunquam S. Congr. rogata fuerit, ut opportuno remedio provideret. Ita quoad Ordinem Minorum Capuccinorum, exponente Procuratore et Commissario generali, in nonnullis sui Ordinis Provinciis, ob multitudinem Officiorum dioecetanorum pedetentim introductorum singulis quibusque annis plura Officia de praecepto, quae supersunt, ad Ritum

plicem redigi necesse esse, S. C. sub die 27. Martii 1773 Officia dioecisana omittenda esse respondit et dandum Decretum in Portugallien. Ordinis Min. etc. a nobis supra relatum. Minores vero Ordinis s. Francisci de observantia Provinciae Gotolaunien. ob Officiorum redundantiam a S. Congreg. petere coacti fuerunt. Ut abrogentur nonnulla festa secundaria Sanctorum Ordinis, ut festis Sanctorum tollerentur octavae, aliquibus tantum retentis, ut ad unam diem unirentur festa Dedicacionum Ecclesiarum omnium Conventuum dictae Provinciae. Et S. C. sub die 19. Jun. 1773 abrogavit omnia festa secundaria et octavas, quibusdam tantum retentis. Alia omitto, quibus idipsum possem confirmare.

Paucis rem absolvam. Ego quidem, ut supra dixi, Regularibus, qui proprium habent Breviarium et in coenobiis Provinciae Bononiensis commorantur, ut de Sanctis dioecesanis Officium faciant, opinor, haud prodesse consuetudinem aut dictiones, quae in apostolicis literis Benedicti XIV. continentur, videlicet: *Clero saeculari et regulari, omnibus qui ad Horas canonicas tenentur*, cum eadem et aliae similes, mea quidem sententia, ad Regulares referendae sint, qui Breviario et Calendario dioecisano utuntur nec proprium habent. Nec tamen si aliqui censeant sub iisdem dictionibus omnes indiscriminatim comprehendi, non ita meae sententiae tenax adhaereo, ut eosdem in errore versari credam. Forte dubitari potest, num et quae vera sit dictionum intelligentia. Ast in dubio adeunda est S. R. C., quae dirimat quaestionem et, quod obscurum est, sua auctoritate declaret. Hoc usi sunt remedio Patres Ordinis Minorum Conventualium ad dubitationem repellendam conscientiamque sedandam, ut patet ex Decreto, cui hanc adnotationem adjicere opportunum duxi.

Ad dubium: Regulares, utpote ejecti a suis coenobiis in tota Hispania, et hanc ob causam tanquam Parochi vel Vicarii variis Ecclesiis praefecti, pro Officio recitando Missaque celebranda an possint vel debeant recitare Officium et Missam celebrare juxta Calendarium dioecesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel juxta Regulare Calendarium Ordinis, ad quem per professionem religiosam pertinent?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Teneri in casu ad Officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro populo celebrandam, ut in Calendar. dioecesis.“

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 5 die 23. Maii 1846.

Ad dubium 1.: An Religiosi utriusque sexus proprium Calendarium non habentes uti debeant Calendario dioecisano?

2. An oneri satisfaciant divini Officii persolvendi, si alio quam dioecisano Calendario utantur?

Emi et Rmi PP. respondendum censuerunt

Ad 1.: „Affirmative, additis Officiis peculiariter concessis Regularibus in illa dioec. commorantibus.“

Ad 2.: „Provisum in praecedenti.“
Atque ita servandum mandarunt.
N. 5125 die 22. Julii 1848.

Ad dubium 1.: Utrum Alumnus familiae Capuccinorum iter faciens, teneatur extra chororum ad Officium, quod recitatur in choro coenobii, a qua discessit, vel alterius, ad quod pervenit?

2. Tempore Quadrag. divini verbi praecones commorantes extra coenobium tenentur se conformare ordini divini Officii coenobii vicinioris vel ejus, ex quo decesserunt et ad quod redire post Pascha debent?

3. Eodem Quadrag. tempore, quando Officium fit feriale, cui adnexum est

Officium parvum B. V. M. vel psal. grad. aut poenitent.: haec additionalia anticiparine possint die praecedenti post completorium, si anticipetur divini Officii matutinum?

S. C. resp.

Ad 1.: „In itinere sequendum divini Officii ordinem coenobii, ex quo discessit; dum pervenit et manet in altero coenobio, etsi ad tempus, hujus ordinem Officii sequatur.“

Ad 2.: „Ad neutrum tenentur, sed se conformare debent ad provinciae calendarium sine ulla diversitate, pro omnibus quolibet anno extensum.“

Ad 3.: „Seclusa peculiari consuetudine servanda, recensita additionalia obligant in choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus diei.“

Die 31. Aug. 1839 in Ord. Minor. s. Franc. Capuccin.

Vd. infra decr. de die 14. Maii 1803.

Superior gener. Ord. Praedicatorum ad hoc, ut a s. Sede obtineat pro toto Ordine novum Officium vel elevationem Officii jam habiti juxta rubricas §. XXXI. n. 2. Breviarii Ord. Praed., non indiget consensu Superiorum inferiorum ejusdem Ordinis vel Capituli generalis. n. 5023 ad 1 die 14. Junii 1845.

1. Obtento et acceptato a Superiore gen. novo Officio vel ritus elevatione, de quibus supra, an sit in facultate Superiorum inferiorum illa acceptare, vel necne?

2. An sequens Superior gen. respuere possit praedictum novum Officium vel ritus elevationem a suo Antecessore obtentam et acceptatam?

3. Supposito quod Superior gener. absque aliorum consensu possit a S. S. novum Officium vel elevationem ritus obtinere, et quod Successor Superior gen. ac Superiores inferiores nequeant praedictum novum Officium vel ritus elevationem respuere, quaeritur: an

unusquisque pro adimplemento oneris divini Officii strictim adigatur praefatae concessionis se conformare?

Emi et Rmi PP. S. tuendis Ritibus praepositi respondendum censuerunt

Ad 1.: „Negative, sed teneri acceptare.“

Ad 2.: „Non posse ad tramites praedicti Decreti diei 13. Jan. 1631.“

Ad 3.: „Affirmative in omnibus.“

Atque ita declarandum, rescribendum ac omnino in Ordine Praedicatorum servandum edixere. n. 5023 ad 2. 3. 4. die 14. Jun. 1845.

Vd.: *Immaculata Conceptio B. V. M.* (Officium, decr. n. 5051).

Ordinis Minorum S. Francisci de Paula.

Dum R. P. Vicario Provinciali Ordinis Minorum s. Francisci de Paula innotuit ab hac S. R. C. usque ab anno 1831 pridie Idus Novbr. in una Marsorum ad dubium 50. definitum fuisse, quod Beneficarii teneantur semper ad Officium propriae Ecclesiae et quod simplices Sacerdotes conformare se possint Officio loci, ubi morantur, subito ab ipsa S. C. exquirendum duxit, num Decretum istud afficiat etiam sui Ordinis Alumnos, sequentia duo dubia proponens pro debita solutione, nimirum:

1. An Regulares subditi uti valeant hujus Decreti privilegio recitando Officium et celebrando Missam Conventus vel Dioecesis, in quibus morantur, licet ad breve tempus, vel an teneantur ad Officium illius Conventus, a quo percipiunt victum et vestitum, ita ut reputentur veluti beneficiati?

2. An Generales et Provinciales, qui in quocumque Ordinis et Provinciae Conventu Superiores reputantur, recitare possint Officium Missamque celebrare Conventus vel Ecclesiae, in quibus ad breve tempus degunt?

Et S. eadem C. ad Vaticanum sub-signata die coadunata in ordinario coetu ad relationem subscripti Pro-Secretarii respondendum censuit utri-que dubio proposito respondendo: „Semper sequendum esse ordinem Officii juxta coenobium, in quo moram faciunt etsi ad tempus, quia ubique choro interesse tenentur.“

Et ita rescripsit.

N. 5175 die 25. Septbr. 1852.

Ad dubium: An Regularis transiens ab uno ad alium Conventum parte anni jam transacta, sive ad tempus sive perpetuo ibi moraturus, durante ipso anno debeat in recitatione privata Officii divini extra chorum se conformare Calendario conventus, a quo discessit, an potius illius, in quo actualiter habitat, si propter festa dioecesis differant multoties Calendaria tam in festis occurrentibus quam in translatis?

S. C. resp.: In privata Officii recitatione extra chorum se conformantes Calendaris Conventuum, in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis horarum canonicarum.

Die 14. Maii 1803. *In una Ord. Carm. Lusit.*

Vd. supra decr. de die 31. Aug. 1839.

Ordinis Monachorum Cisterciensium.

Quum Rmus P. Procurator gen. Ord. Cisterciens. iteratis humillimis precibus SSmum D. N. Pium IX. P. M. enixe rogarit, ut instar concessionis usque ab anno 1764 III. Non. Aug. factae Ordini s. Benedicti Congr. Olivetanæ ac in sequentibus annis Camaldulensibus et Cassinensibus extensæ de apostol. benignitate indulgere dignaretur omnibus et singulis personis Eccles. saecul. servitio Monasteriorum et Ecclesiarum ac Granciarum sui Ordinis addictis, nunc et pro tempore

existentibus aliisque intra claustra eorundem Monasteriorum assidue habitantibus et cum Monachis conviventibus, ut donec et in servitio praedicto seu in convictu intra claustra cum Monachis perduraverint, si divinum Officium horasque canonicas recitare teneantur, absque ullo conscientiae scrupulo Officium divinum horasque canonicas juxta Ritus ipsius Ordinis Cisterc. seu dictorum Monasteriorum, in quibus ipsi existunt seu servitio addicti reperiuntur, non solum in choro cum monachis, sed etiam si in choro uno cum aliis monachis minime praesentes sint, seorsim et separatim recitare possint et valeant. SS., referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit pro extensione supraenunciati Indulti, dummodo tamen Sacerdotes alique eccles. Saeculares aliquo Beneficio speciale Officium requirente non sint provisi et consensu proprii Ordinarii sint muniti. n. 5052 die 28. Aug. 1846.

Ad dubium: An Decretum in una Ordinis Capuccinorum die 31. Aug. 1839 ad dub. 2. opponatur praescripto a Rubrica Ordinis n. 152. mandante ut Religiosus, quoties extra coenobia Ordinis diversatur, recitet Officium juxta Calendarium sui Conventus?

S. C. resp.: Negative, nam Decretum illud non respicit Alumnos Ordinis Observantium.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 6 die 16. Apr. 1853.

Ad dubium: Cum aliquoties contingat alteri novo Officio Nostratibus (Ordin. Minor. s. Francisci de Observ. in Provincia Bononiensi) concessio assignari ab hac S. R. C. vel a Rmo P. Ordinis Generali diem in Calendario Ordinis liberam, et quidem sub hac ratione, quia libera est, nam, ut hic supponitur, dies ipsius natalitia non

est; quaeritur: an casu quo praefatum novum Officium inveniat in aliquibus Conventibus assignatam diem occupatam ab altero Officio inferioris ritus jam ibi fixe translato juxta Rubricas, debeat illud ipsum novum Officium huic praeferrere utpote majoris ritus, licet nullum jus ad talem diem habeat praeter assignationem ut supra a Superioribus factam?

S. C. resp.: Affirmative, ut in Mechlinien. diei 7. Dec. 1844 ad dub. IV.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 3 die 16. Apr. 1853.

Ad dubium: An illi Monachi, qui quotidie pergunt ad s. Paulum divini Officii persolvendi causa, debeant recitare in Ecclesia s. Pauli Officium s. Callixti Titularis Ecclesiae hospitii?

S. C. resp.: Negative. Die 5. Oct. 1697 in una Urbis ad 2.

Ad dubium 1.: Quaeritur quid agendum sit, si idem Officium, quod concessum fuit Congregationi Clericorum Regul. s. Pauli Barnabiti, indultum quoque fuit dioecesi, in qua moramur, sed pro alia die?

2. Quaeritur quid agendum sit, si pro eodem quidem die sed sub alio ritu idem Officium tum Congregationi nostrae tum dioecesi, in qua moramur, indultum fuit?

3. Quaeritur quid agendum sit, si quando Congregationi nostrae aliquod Officium de communi, dioecesi vero proprium concessum fuerit vel vice-versa?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuerunt

Ad 1.: „In casu Clericos Regular. s. Pauli conformare se debere quoad diem Calendario dioecetano.“

Ad 2 et 3.: „Clericos Regulares debere celebrare festum ritu altiori et Officio proprio respective; dummodo

in concessione Officii proprii facta dioecesi Regulares explicitè non excludantur.“

N. 5230 die 29. Nov. 1856.

11) Ordinatio.

Vd.: *Ordinatio Regular*; *Ordinatio* (Titulus; tempus, decr. Pii VI.) vd.: *Constitutio Benedicti XIV.* die 27. Febr. 1747 (Bull. r. t. XVII. p. 106); *Votum Regular.* (Decr. de die 20. Jan. 1860).

12) Ordinario (tamquam Sedis ap. Delegato) subjecti.

Vd.: *Constit. Innoc. X.*: Ut in parvis etc. de die 10. Febr. 1654 in Bullar. magn. rom. tom. V. pag. 487 (ed. Luxemburg. 1727) et: *Declarationes Alexandr. VII.* ad hanc constit. (ibidem tom. VI. p. 5).

Ordinariis subjiciuntur in his, quae ad divinum Cultum necnon ad administr. SSrum aliaque Spiritualia spectant, vd.: *Constitut. Pii IV.* 16. Febr. 1564 (ibidem t. X. p. 138); *Constit. Gregorii XV.* 9. Febr. 1623 (ibidem p. 183); *Constit. Bened. XIII.* 27. Mart. 1726 (ibidem t. VIII. p. 495).

De jurisdictione Episcop. quoad Ecclesias paroch. Regularium et personas curam animarum Subditorum saecularium in eis exercentes, vd.: *Bullam Bened. XIV.* 6. Novbr. 1744 (Bull. r. t. XVI. p. 249); *Constitutio Clem. XIII.* de die 11. Decbr. 1758 (Bull. r. Contin. t. I. p. 72. Edit. Rom. 1835).

13) Praecedentia.

Vd.: *Processio* (Clerus regul.); *Processio* (Regularium); *Sepult.* (associatio); *Processio fun.* (facienda a Regul.).

14) Votum simpl. et sol.

Vd.: *Votum Regul.*

RELATIONES

super Statibus Ecclesiarum etc. ab Episcopis et aliis Praelatis inferioribus exhibendae.

Vd.: *Visitatio Liminum*; *Status Ecclesiar.* *Erectio Congregationis particularis nonnullorum romanae curiae Prae-*